

Erant perseverantes unanimiter in oratione.

Léctio Actuum Apostolorum

1, 12-14

[**P**ostquam assumptus est Iesus in cælum,]
¹² revérsi sunt apóstoli in Ierúsalem
a monte, qui vocátur Olivéti,
qui est iuxta Ierúsalem sábbati habens iter.
¹³ Et cum introissent,
in cenáculum ascendérunt,
ubi manébant et Petrus et Ioánnes et Iacóbus
et Andréas, Philíppus et Thomas,
Bartholomáeus et Mattháeus,
Iacóbus Alpháei et Simon Zelótes et Iudas Iacóbi.
¹⁴ Hi omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne
cum muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius.
Verbum Dómini.